

28

ORATIO

DE

MONUMENTIS LITERARUM VETERUM SUO PRETIO AESTIMANDIS,

QUAM HABUIT

DIE VIII FEBRUARII MDCCCCLXIV

1864
CAROLUS GABRIEL COBET,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. IN FAC. PHIL. TH. ET LIT. HUM. PROF. ORD.

ACCEDIT FATORUM ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE
ANNO MDCCCCLXIII—MDCCCCLXIV ENARRATIO.

LUGD.-BAT. EX TYPOGRAPHICO J. C. DRABBE.

SALVETE MIHI OMNES QUOTQUOT ADESTIS, ACADEMIAE LUG-
DUNO-BATAVAE CURATORES, PROFESSORES, DOCTORES, VE-
TERES AC NOVI FAUTORES, AMICI, ALUMNI, SALVETE.

Habet hoc omnium consensu nostra aetas, ut sit antiquitatis et rerum veterum incuriosior et fastidiosior, et contra appetentior aliquanto et avidior novitatis ac rerum novarum. Nulla pars est earum rerum, in quibus hominum animi et mentes occupatae esse solent, ubi non appareat illud sententiarum discidium, ut minor pars hominum eaque fere constans ex iis, quorum aut aetas sit grandior aut natura tardior aut lentius ingenium, laudet praeterita sed nova ac novatores aut metuat aut oderit. Ili omnes pristinum rerum modum moremque tam perditae amant ut illis amissis de generis humani salute et de societatis humanae felicitate actum fore arbitrentur. At his oppositi alii et numero plures et ingenio acriores et fervidiores natura toto pectore in contrarium ruunt, magnaue audacia et confidentia antiquitatis auctoritatem maiestatemque omnem convellunt. Negant id quod vetustum sit, sed quod sanum, quod salubre, quod verum sit coli et excoli oportere. Crebro dictitant: ut nobilitas generis sine virtute nihil est et contra in quo virtus sit id semper satis nobile aut esse aut fore, sic in ipsa antiquitate nihil esse boni, et quod bonum, quod praeclarum sit, id sibi omnibus rebus esse antiquius.

Sed quid ego nunc animorum motus describam, quibus omnes nos commoveri sentimus? Nemo ferme nostrum est qui non agnoscat se in alterutris castris militare.

Sunt fortasse qui diffiteantur, sed neminem esse existimo cuius mens veluti aequis librata ponderibus inter summas dissentientium contentiones media haereat immobilis et non subinde aut huc aut illuc inclinet.

Nolite autem metuere, Auditores, ne ea quae dixi referam aut ad diversas hominum de religione et sacris opiniones, aut ad id quod quisque de rep. optime administranda sentiat. Non committam ut in cuiusquam animo caecos irarum fluctus concitem ea commemorando, quae de rebus gravissimis sanctissimisque homines nostrae aetatis ita inter se digladiantur ut quae aliis vita potiora sunt ea ab aliis aut in discrimen aut in contemptum vocentur. Continebo me intra eos fines quibus mea ipsius studia continentur. Satis est argumenti in Litterarum veterum studiis aut laudandis aut vituperandis, unde eadem illa acris pugna cognoscatur inter eos qui mordicus antiqua retinent et eos qui quod illi unice mirantur, contemnant et pro nihilo ducant. Fremunt alii aut in brevius contrahenda aut prorsus tollenda esse ea in quibus firmiter retinendis stabiliendisque alii sanioris doctrinae veraeque humanitatis salutem verti pertinaciter affirmant.

Quam mutata sunt tempora! Quam multi superstites sunt qui meminerunt quum inter omnes, quorum ingenia liberali doctrina exposita essent, satis constaret omnem humanitatem et omnem elegantiolem ac solidiorem doctrinam et omnem cogitandi sanitatem dicendique facultatem ac copiam antiquarum Litterarum monumentis subnixam esse oportere, quum Graece Latineque scirent omnes qui supra vulgi captum sapere volebant, quum Litterarum veterum scientia insignior reliquarum disciplinarum laudem obscuraret.

Ecquis forte vestrum me ea tempora desiderare existimat? aut queri de aequalium negligentia, aut accusare eos quorum opera factum sit, ut illa vetus Regina nunc legibus teneatur ac serviat? Si quis forte in ea opinione versatur, palam ex me audiat me in ea quoque re probare sententiam eorum quorum ingeniis praesentia tempora regantur.

Multum abest ut equidem illa tempora desiderem quum veterum Litterarum studia aliis disciplinis officerent magis quam prodessent. Multum abest ut mihi illi placeant qui olim aut mediocriter aut ne mediocriter quidem in illo difficillimo studiorum genere versati, ut ea quae paucissimorum sunt assecuti esse viderentur, ambitiose ac sine fine creparent divinam Homeri venam, coeleste Platonis ingenium, maiestatem Tragicorum, Atticos sales Aristophanis, incredibilem vim dicendi Demosthenis, admirabilem eloquentiam Tullianam aut lacteam Livii ubertatem.

Multum abest ut equidem eorum agmina superesse velim quorum vitio factum est ut quidquid est hominum acutiorum et elegantiorum fastidire ea coeperint quae suapte natura maxime elegantissimum quemque et acutissimum capere ac tenere deberent.

Dicam paucis ac diserte quid sentiam. Ut in caeteris omnibus rebus, de quibus hoc saeculo cordati homines adversis frontibus concurrunt et antiquitatis admiratores cum amatoribus novitatis depugnant, sic in Litterarum studiis aliquando pax aequa et stabilis poterit componi. Longa dies docebit non esse illas res dissociabiles, quae nunc perpetuo inter se pugnaturae esse videntur. Magna me spes tenet aliquando fore, ut in controversiis de religione et sacris, de reipublicae administratione, de omnibus, quibus humanac societatis felicitas ac salus continetur, omnes acerrimi bellatores, qui sunt ferme mentis vigore et acumine et generosi animi constantia hominum optimi, pace composita dextras iungant. Ponentur aliquando arma ubi semel erit intellectum aliud esse in quaque re primum et unice retinendum, aliud secundarium et supervacuum, cuius iactura facienda sit ut flos et robur hominum prudentiorum coalescat in unum et amice conspiret.

In ea controversia quae est de Litterarum veterum studiis eo facilius pax poterit convenire et eo citius constabit optime consociari posse eas res quae natura dissociabiles esse putantur, quoniam illud certamen inter solos eruditos et litteratos homines agitur neque caecis vulgi imperiti cupiditatibus animi irritantur.

Videndum erit quid sit in Litteris antiquis primum, quid non sit, quid sit necessarium et salubre, quid seponi citra damnum negligique liceat.

Nemo dicet eos qui in Litterarum veterum studiis vitae tabernacula posuerunt quum de vetere principatu mutatis temporibus depelli coepti essent eam rem tulisse iracundius aut stulta stolidaque pertinacia alias vias inire volentibus obstitisse.

Equidem mihi probe sum conscius numquam per me stetisse, quo minus id quod mutata rerum temporumque ratio postularet, lubenter concederetur.

Quamquam mihi animi constantiam et tenacitatem propositi non deesse sentio, tamen numquam induxi in animum impedire quemquam quominus naturam suam sequeretur et novam sibi viam faceret. Nihil umquam in

Litterarum studiis expetivi praeter ipsarum praestantiam. Expertus novi illa praeclara studia pabulum esse animi et propter se ipsa expetenda, neque adeo invitis vel fastidientibus esse obrudenda. Alia sentientes semper aequo animo tuli imitatus in hoc Bakii mei exemplum qui semper hoc agebat meque agere docuit, ut unusquisque *suus* esset. Semper vidi illos esse in studiis omnium praestantissimos qui illud Theocriteum *ἀντὰρ ἐγὼ βασεῦμαι ἐμὴν ὁδόν*, *meam mihi ipse viam aperiam*, magno animo tenerent. His igitur rationibus motus mihi proposui in huius diei solemnitate pauca dicere de monumentis Litterarum veterum suo pretio aestimandis. Dabo operam brevitati neque committam ut longo sermone vestra tempora morer, praesertim in hac coeli asperitate et inclementia. Itaque ea quoque de causa quum de eo argumento animi mei sententiam candidè et aperte exponam, vos, Hum. Auditores, mea verba benevolis et attentis animis auribusque quaeso prosequimini.

Est hoc studiis historiae antiquae et Litterarum veterum proprium ut versentur in rebus absolutis consummatisque, rerumque omnium exitus et extremi eventus apparcant. Qui Graecorum historiam et litteras sibi sumit cognoscendas, postquam vidit Graeciam fervidam iuventa et adultam et maturam, videbit mox eandem senescentem, desipientem, effoetam, decrepitam ac delirantem.

Quod cecinerat Homerus: „dimidiam partem virtutis servitus aufert” de cruda servitute dictum est: nam longa servitus virtutem omnem exstinguit. Sensit hoc Graecia: amissa libertate de virtute actum est. Periere optimaè artes, periere animi ingeniique dotes. Potuit Demades dicere in recente patriae calamitate: „Anus, anus est Graecia, aegra et decrepita, sandaliis induta ac ptisanam sorbens.” Quid putes animi posthac miserae fuisse? Vivo Alexandro haec dicta sunt, sensim virtus ac vires omnes deficiunt, hebescit ingenium, dives vena exarescit, consenescent omnia ac moriuntur. Quamquam brevi adumbratione rerum utendum mihi esse intelligo neque vacare exemplis multis testimoniisque uti, tamen unum oculatum testem producam.

ICtorum Romanorum princeps Servius Sulpicius Ciceronem, qui Tulliolam suam deflebat, consolans ita scribit: „Ex Asia decedens quum ab Aegina Megaram versus navigarem coepi regiones circumcirca prospicere. Post

me erat Aegina, ante me Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus, quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: Hem! nos homunculi indignamur si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, quum uno loco tot oppidorum cadavera proiecta iacent." Ergo quae florentissima oppida et opulenta tum fuisse multi opinantur erant *oppidorum cadavera!* Quid similes aliorum querelas colligam? Flebiliter morientem Graeciam Polybius deplorat, flebiliter mortuam Strabo, Dio Chrysostomus, Pausanias, caeteri. Vastitatem et inopiam et egestatem sequuntur inertia, ignavia, nequitia, vitia omne genus. Primum post amissam libertatem gliscere coepit foeda et abiecta adulatio spe lucri superbis et arrogantibus dominis blandiens et assentans. Graecia amare, potare, helluari, et, ut uno verbo omnia complectar, graecari perdidit. Quorsum autem haec omnia? Nempe ut unusquisque intelligat simul de Graecorum virtute et moribus esse actum, simul de Litterarum Graecarum praestantia. Ubi non est libertas, quam solae optimae artes et pariunt et partam stabiliunt, ibi neque poesis neque eloquentia consistere possunt. Ubi semel vetus illa Graecorum *φρόνησις* et *φρόνημα* occiderunt, id est ubi simul mens sanior et mens sublimior defecerunt, atque illud amissum est quod scribendi recte fons est et principium, Graecorum litterae desinunt esse homini acuto et ingenioso pabulum animi, incitamentum virtutis, speculum naturae et humani pectoris speculum et fons perennis unde humanitatis et culturae ingeniorum et elegantiae semina irrigata progerminent. Itaque in Graecorum litteris duae sunt distinguendae aetates, quarum altera prior et brevior ea monumenta ingenii continet, quae ab incertis primordiis ad Alexandri Magni mortem condita sunt, altera posterior longiorque complectitur quidquid post mortem Alexandri Graecia servitute oppressa et senio confecta ad posteritatis memoriam prodidit. Quod prior aetas protulit dignum est illa admiratione, quam per tot saeculorum decursum idonei iudices uno ore, unanimi sententia, profiteri nunquam desierunt, quod posterior protulit aetas, non est.

Quam vellem mihi per hanc horae brevitatem liceret ostendere quamobrem illos heroes toto animo admirer, et in illis intelligendis et explicandis et emendandis aetatem exigere et vitae tabernacula ponere statuerim, et nihil

illis sanus contulerim, quod posthac summorum hominum ingenia eximium protulerunt. Sed brevis esse debeo et de eorum praestantia et usu paucissimis absolvam. Ex tota Graecia Athenienses in omni scribendi genere primas ferunt, de quibus scite Romanus historiae scriptor sic pronuntiavit: „Corpora Graecae gentis separata sunt alia in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes.” Nostis qui se nostrae aetatis Athenienses esse lubenter dictitant et credunt. Nihil his quidem venustius et lepidius est, sed desunt iis illae artes quibus vera libertas, id est sanitas animi, nitatur. Opponuntur his illi, quorum sana mens et civilis sapientia libertatem suam tam firmis fundamentis superstruxit ut etiam aliorum libertas ex illorum libertate suspensa sit. Verum non capit illorum paulo truculentior gravitas illam festivitatem, quae in Gallorum scriptis efficit ut omnia veluti solis radiis illustrata splendeant. Hi vero duo sunt populi, quorum litterae potissimum antiquis aliquando palmam dubiam facere possint. Quid igitur si utrorumque dotes in unum coalescerent! Nescio quid maius perfectiusque quam adhuc vidimus animo obversari incipit. Haec ipsa imago in Atheniensibus repraesentatur. Sapiunt et eleganter sapiunt. Eorum sana mens, acuti sensus, copiosa et nitida oratio, ingenitus libertatis amor, eximius pulchri sensus sine exemplo sunt in generis humani historia. Recte cernunt, recte iudicant et ad omne genus artium et doctrinarum tam apti quam ad omne venustatis et elegantiae genus a natura facti. Qui artificum Graecorum reliquias admirantur, quanto opere poësin et eloquentiam admiraturi essent, si quemadmodum oculos habemus omnes, sic omnes Graeci sermonis intelligentiam haberent. Nam quid exiguae artificum obscuriorum reliquiae (Phidiae enim ars et Praxitelis et summi cuiusque manus periit) quid exiguae, inquam, minorum artificum reliquiae ad Homeri poësin aut Lyricorum aut Tragicorum? quid ad Aristophanis? quid ad Historicorum monumenta, aut Oratorum? quid ad Platonis? Est ea et semper erit inter excellentiora hominum ingenia cognatio ut nihil ex illis quamvis longa vetustate senescere possit. Florent et florebut aeterna iuventa; nisi forte putes divina Homeri carmina his decem aut, si mavis, his viginti saeculis vetustiora esse facta.

Florent talia, inquam, aeterna iuventa et semper florebut. De praestantia apud intelligentes satis sic dictum esto: de usu dicam. Intelligo

me in salebroso loco versari: delibabo unum potissimum argumentum, quo causam obtineam.

Quicumque libertatem odit et superstitioni favet, odit litteras antiquas et philologiae studia quantum potest impedit et excindit. In Gallia fanatici homunciones scriptoribus classicis indixere bellum. Idem fit alibi locorum aut palam aut clandestinis artibus. Num putatis illos timere ne Iovem Olympium vel Capitolinum cum Iunone et Minerva pro Diis colamus? an ne mores corrumpantur? Ita dictitant nonnulli, quasi vero metus sit ne Gallicae iuventutis mores scriptorum Graecorum aut Latinorum lectione depraventur. Utinam ne magis Gallorum chartae peccare docentes iuventutem nostram depravent! Metuunt isti, quamquam dissimulant, ne generosa iuventus libertatis amorem imbibat et sanam rationem, quam spirant Antiquitatis monumenta. Et recte quidem isti metuunt, namque illa doctrina vim promovet insitam quae aliquando servitutis et superstitionis iugum excutiet. Nihil metuunt sibi ab iis qui rerum naturam perscrutantur: in observationibus microscopicis nil esse periculi putant: non exhorrescunt mathematicorum inventa: historiam animalium satis credunt non esse sibi periculosam, sed liberorum populorum historiam et res gestas et litteras et excellentium virorum, quos illa libertas tulit, auctoritates et exempla et sententias, haec vero anxie reformidant, cum his bella gerunt. Et hi quidem utuntur iure suo: impediunt licet litterarum veterum studia apud suos ac si possint excindant. Sed nos in antiqua libertate et sanitate nati et educati quod isti lucifugi tenebriones opprimere et delere gestiunt, nos, inquam, vindicabimus, nos tuebimur. Nos in illa palaestra more maiorum iuventutem nostram exercebimus, ubi acuitur iudicium, pulchri sensus alitur, animus ad altiora erigitur, instillatur verac libertatis amor et anilis superstitio funditus exturbatur.

Venio nunc ad alteram aetatem, de qua ea mihi sententia est, ut sat sciam multos et nunc et posthac a me toto coelo discrepaturos.

Ex illa luce oboriuntur tenebrae, obrepit senectus, torpor et veteranus occupat omnia, tum triste senium decrepitam Graeciam lenta tabe absunit.

Quidquid illa aetas protulit neque admiratione dignum est neque ullo modo cum illis scriptoribus, quos renatae litterae perfectissimos dederunt,

comparandum est. Neminem excipio eorum qui post Alexandri M. mortem scripserunt. Non adimo illis variam et multiplicem eruditionem, curam et sedulitatem, rerum utilium copiam et ornatè dicendi artificium, sed unum in hac ingenti scriptorum frequentia esse nego, in quo sit illud quod in antiquissimis et recentissimis ardente pectore admiramur. Non est in poetis ingenium illud et mens sublimior et os magna sonans: non est in historicis, in philosophis, in oratoribus illa vis dicendi quae animos quo velit rapiat et inflammet, neque illa inveniendi et eloquendi facultas quae facit ut omnia non narrari aut describi, sed agi et vivere videantur. Nihil est in his nativum, apparet ubique subinepta antiquitatis imitatio eo ipso vitiosa quod naturae motus reprimat et vitam exstinguat. Ut hoc vincam non confugiam ad extrema tempora quum sophistarum ineptiae et rhetorum quisquiliae et theologorum deliramenta etiam parum fastidioso homini taedium et nauseam pariunt. Paratus sum id ostendere in quolibet scriptore aut poeta, cuius aetas cadat in illa quae definivimus tempora, quum Alexandro Babylone mortuo Cyclops ille Macedo, monstrum immane cui lumen ademptum, discerptus est in partes maiores minoresque, et ex uno ingenti imperio novi reges ac reguli regna condere, id est erepta omnibus ubique libertate duram et iniquam dominationem armis partam armis retinere coeperunt. Hic mihi nonneminem audire videor oclamantem: quid! tunc illam aetatem vituperare audes, quae litterarum studiis florentissima et fructuosissima fuit? Tunc Alexandrinam Bibliothecam et illud Museum et criticorum principes et nobiles poetas Alexandrinos contemnis? Ego vero ea partim contemno, partim novissimae aetatis studiis ingeniisque aut aequata aut superata esse contendo. Ac primum quidem quos mihi magnos et nobiles poetas narras? Equidem diu et multum versatus in eorum carminibus ne poetas quidem esse facile concesserim, nedum magnos ac nobiles poetas. Laborioso artificio et multis aerumnis versus sonoros pangunt verborum splendorum et priscorum tinnitu graves, rerum sententiarumque inanes. Recoquunt linguam Homeri scilicet grammatici magis quam poetae, et ne grammatici quidem sat boni. Farrago ex omni Graecitatis olim intermortuae copia mixta et conflata, vocabula prisca cum novis ac plebeiis confusa, ut tesserulae in picto pavimento contextae, non est poëma. Saeculum erat olim ista mirari. Desinamus aliquando ineptire et Callimachum

cum Apollonio Rhodio caeterisque suo pretio tandem aestimare, id est contemnere, audeamus. Insignem iniuriam, me iudice, feceris egregiis recentiorum temporum poetis, si eos cum Alexandrinis composueris. Sed mitto Poetas. Praeterierant illa tempora quae poetas parere possent. Nata sunt erudita studia et melius carmina antiqua interpretabantur quam nova pangebant. Solutae orationis scriptorum agmen prodiit, qui docti indoctique, parati et imparati, res gestas aut memoriae prodere aut stilo ornare sibi studio habuerunt. Principem in illis locum Polybius obtinet, in quo optime quid sit in illo genere boni, quid non sit, existimes. Est in illo rerum egregia intelligentia, dicendi nulla facultas. Singularem prudentiam civilem dedecorat rusticana et plebeia oratio. Doctiorem te dimittet et sapientiorem, sed numquam in eo legendo incalesces, nulla flamma tibi in pectore ardebit, omnia veluti ad numeros ac rationes revocantur, ut assentiaris ei quidem, sed numquam animo commovearis gravius, idque in iis rebus quae suapte natura et gravitate etiam tardiori aut iram et indignationem moveant aut eliciant lacrymas. Polybium legens aequalem ac popularem te legere putes, accurate doctum, multum domi militiaeque in rebus gerendis versatum, sed nihil ad illam Antiquorum virtutem, qua facta dictis exaequabant.

Tamen quo intervallo Polybius ab antiquis distat, eodem aut etiam maiore ipse caeteros omnes historiae scriptores post se relinquit. Infinitum est de omnibus dicere et vela contraham ne modum excedat oratio. Deligam ex omni copia unum et alterum, et quo pretio aestimandi sint libere eloquar. Arripiam primum eum, qui simul in criticorum et historicorum numero principem locum obtinere putatur. Dionysium Halicarnassensem dico, Platonis, Thucydidis, Demosthenis, caeterorumque Oratorum Atticorum censorem et castigatorem, et historiae Rom. antiquioris scriptorem, quem se Niebuhrius ab ineunte aetate vehementer probasse et impense admiratum esse profitetur. Verum pace Niebuhrii dictum esto: nihil est in Dionysio H. quod sanus aut probes aut admireris. Vos, vos omnes qui me auditis philologi, appello ac testor, ecquis vestrum est qui illum lubenter legat aut ex illo rerum utilium et praeclararum copiam collegerit aut iudicium acuerit aut aluerit ingenium? Fabulas nobis nullo teste, nullo auctore satis idoneo, pro rebus certissimis putida et ver-

bosa diligentia quasi oculatus testis describit, ut eum Romulum et Remum quum lupae uberibus alerentur conspexisse putes. Quod est in illa antiquitate simplex et inconstitutum, apud illum sophisticis argutiis depravatur, et vix equidem teneo risum ubi Romulum ipsum audio raptas Sabinorum virgines artificiosa et calamistris inusta oratione ita consolantem ut eas argumentis et exemplis ex vetere Graecorum historia petitis doceat non esse aliud matrimonii genus melius quam ut virgines a cupidis precibus per vim rapiantur. Sic pueriles fabulas inepta loquacitate quum ornare vult ultro corrumpit ac nihil apud eum interest Davusne loquatur an heros. Pellucet ubique in longis ambagibus rhetor umbraticus qui quidquid attigit sophistico et declamatorio colore tingit et sic ut verbo absolvam quidquid attigit acuto et ingenioso lectori pessumdat. Sunt alii etiam deteriores. Si Romulum ferre nequeas pueriliter declamitantem, quid erit si Adamum audias cum uxore Eva argutantem? Depone mihi rhetorem Halicarnassensem e manibus et Flavium Josephum inspice, qui se ad Dionysii exemplum ita composuit ut exemplar vitii imitabile vitii superaverit. In hoc quoque admoniti sapere aliquando audeamus. Magnus et praeclarus scriptor habetur scilicet ab iis, qui eum numquam penitus et in cute inspexerunt. Omnibus notus et in ore est, sed obiter eum inspicunt plurimi, quotus enim quisque nunc est qui spissos eius libros cum cura totos perlegat, et cuius tandem animus illa lectione et meditatione pascitur? Iterum proloquar audacter quod sentio. Hunc quoque scriptorem contemnendum esse equidem ex animi sententia profiteor praedicoque. Patriae ac suorum proditorem, arrogantium dominorum adulatorem, veri corruptorem non fero. Esto: servavit nobis earum rerum hominumque notitiam, quam plurimi nostra interest habere: accipimus, sed caute et anxie testis male fidi auctoritatem ponderantes et excutientes et quia meliora desunt istis coacti acquiescimus, deplorantes historiae vicem, cuius nihil praeter istiusmodi testes et auctores supersunt.

Profecto insignem iniuriam summis recentiorum temporum historicis is fecerit qui eos cum talibus comparare voluerit.

Est in sequioribus scriptoribus aliud quoque vitium quod in Iosepho facilius etiam quam in caeteris redargui potest. Quemadmodum apud illos actum est de cogitandi sanitate et serenitate veterum, sic linguae quoque sinceritas et probitas

proprietas amissa est. Videtur sibi Iosephus optime Graece scire et scribere, et ut est homo vanior eam in se facultatem esse palam iactat, nisi quod se negat Iudaeum hominem sonum Graecae linguae sat commode ore rotundo efferre posse. Vehementer fallitur. Non est haec Graeca oratio ex laciniis veterum sine arte, sine delectu, contexta intertextis veluti pannis decoloribus ex aequalium et Romanorum sordibus.

Est hoc exquisitissimae cuique linguae proprium ut praeter populares, qui in eius usu innati innutritique sint, nemo umquam eximiam ac singularem eius facultatem imbibat. Nemo umquam extra Graeciam natus Graece scripsit quod esset lectu dignum. Non loquor de iis qui in Aegypto, in Syria, in Palaestina Graece balbutiebant magis quam loquebantur. Nemo Romanus umquam optime Graece aut locutus est aut scripsit aliquid quod cum admiratione legas. Cicero quum Graece scriptitat graviter impingere solet, et si quis ex me quaereret quem scriptorem Graecum unum omnium ineptissimum esse existimem, Aelianum Praenestinum nominarem, qui Romanus homo, spreto sermone patrio et nativo, Graeca oratione uti maluit eaque tam molesta et affectata et putida, ut ei nemo palmam stoliditatis eripuerit.

Mirabitur fortasse aliquis quo pacto id quod a me tam confidenter pronuntietur fefellerit caeteros. Est caeca quaedam et malesana antiquitatis veneratio, quae vel in clara luce nihil discernit. Audeamus aliquando huius quoque superstitionis vinculis animos ac mentes liberare. Quid est Diogene Laërtio in scribendo iudicandoque absurdus? Quid Maximo Tyrio, Themistio, Himerio loquacius? Quid Philostratis insulsus? Quid Iuliano affectatius? Quid Eunapio inficetius? Quid scriptoribus eroticis Charitone, Xenophonte Ephesio caeterisque puerilius? Et ne Romanos plane praeteream, quis est scriptor, etiam eorum qui nunc sunt, ineptior tumidiorque quam aut Florus est aut Tiberio aequalis Valerius Maximus?

Quam iacent illi omnes prae optimo quoque veterum! Quam iacent iidem prae optimo quoque eorum quos novus saeculorum ordo novos protulit.

Quid igitur? Tenebimus illud Paulinum quod in omni vitae ratione sapienti viro dignissimum est. Inquiremus in omnia et quod in quoque genere praeclarum est retinebimus. Sunt multa vetera perexigui aut nullius momenti. Sunt nova multa eximia. *Το καλὸν κατέχετε*, sive est illud

perantiquum sive novissimum, nam nullis loci aut temporis finibus τὸ καλόν coercesur.

Sic inter antiquitatis admiratores et novitatis amatores certa et stabilis pax conveniet et omne feret punctum qui sic miscebit vetera novis.

Transeo ad alteram officii mei partem ut ea commemorem quae me Rectore Academiae Lugduno-Batavae aut laeta aut tristia evenerunt.

In vestro collegio, Illustrissimi Curatores, prospera et laeta omnia laeti videmus. Valetis, vigetis et amplissimum munus ita procuratis ut nihil vobis honorificentius, nihil nobis optatius esse possit. Utinam haec Academiae Lugduno-Batavae longa et diuturna sit laetitia!

Ex vestro numero, coniunctissimi collegae, unum mors rapuit, non immaturum illum quidem sed insigne Academiae decus et ornamentum Henricum Guilielmum Tydeman. Quod mihi lege praescriptum officium est ut summi viri vitam ac merita describam, id mihi, non dico grave aut iniucundum, sed difficile admodum et arduum negotium est. Constat enim inter omnes ipsi Tydemanno eam rem vehementer displicuisse. Palam fastidiebat illud scribendi genus quo virorum excellentium manibus panegyricum in modum multi parentari solent. Praeterea subit mihi animum formido quaedam quo pacto vastam et stupendam eruditionem mente et oratione complectar illius viri, qui solus omnium quos sciamus per annos plus quam sexaginta Professoris ordinarii munere functus nullam partem doctrinae negligebat, sed omnes per vices curiose excolens nihil non quod sciri posset incredibili ardore et diffusissima lectione sine ulla intermissione rimari perscrutarique consuevit et humanae scientiae nihil a se alienum putans vitaeque ad extremam senectutem eamque vegetam et operosam producta factus est, ut Graece dicam, παντειδημων, id est omnium rerum gnarus et peritus. Sumam ab ipso exemplum quod sequar. Quum senex admodum veteris amici Treslingii vitam scriberet unice se probare dixit verba Ruhnkenii: „alii dicent quam uxorem, quos liberos habuerit, „tu nobis effigiem ingenii et doctrinae expressam dabis quam intueantur „bonarum artium studiosi.” Vitam Tydemanni privatam et domesticam dicent alii: ego Tydemanni imaginem, qualis animo meo obversatur, ex-

tremis lineis adumbrabo, doctrinamque viri et naturam referam qualem mihi per multos annos spectare eam contigit.

Fortes creantur fortibus et bonis. Tydemanno illud omnium rerum appetens et capax ingenium a natura insitum paternum exemplum promovit. Meinardus Tydeman, quo nemo plura sciebat, filium rebus omnibus addiscendis natum genuit educavitque, in quo tam mature illa vis perlucere coepit, ut pater scripto testatus sit se in decenni filio admirari incredibilem rerum copiam quam tenaci et parata memoria complecteretur. Aluerunt et auxerunt hanc facultatem Tydemanni vitae tempora, quae alia ex aliis ingenioso viro obtulerunt quibus mentis celeritas tamquam stimulis quibusdam semper novis concitaretur. Vixit enim in rep. turbata et habebat hoc, ut rebus recentibus et repente natis facile commoveretur. Quidquid advertibat homines, quidquid erigebat animos et aures, feriebat Tydemanni mobilem animum, eumque ad cogitandum et scribendum impellebat. Sic factum est ut de rebus diversissimis scribendo varium et multiplex ingenium simul experiretur et exerceret. Varia reip. tempora stilum viri acuebant, et id semper tota mente meditabatur quo aequalium studia mentesque vocabant. Erat tum saeculum, si qua res controversa multorum sermonibus celebraretur, ut proposito praemio eruditorum ingenia ad scribendum accenderentur. Quam saepe Tydemannus ex eo certamine aut palma nobilitatus aut aliquo honore auctus discessit. Neque minus lubenter quod ipse cogitando reperisset proferebat quam aliena inventa acris sed iustae censurae subiiciebat, inque ea re tam erat impiger ut praeter ipsos scriptores censors quoque ac iudices ingeniorum, si quid commisissent, Aristarchea severitate coerceret. Quae pars est eruditionis et doctrinae in qua non Tydemannus elaboraverit? Nullum est genus disciplinae, quae varia et multiplex ab ordine ICtorum traditur, quod non Tydemannus per vices discipulis suis tradiderit. Et quid non erat ab eo expectandum, qui eadem facilitate eodem studio et recentissima omnia, si quid aequalium mentes commovisset, ut modo diximus, arripiebat, et abstrusiora et recondita omnia ex abditis librorum innumerabilium penetralibus assiduitate numquam intermissa colligebat componebatque. Quid in quoque genere praestiterit non ex paucis meis verbis cognosci potest, sed sic demum quantum sit poterit aestimari, si quis scripta Tydemanni, omnisciae doctri-

nae et foecundissimi ingenii foetus omnes, maximos, minimos, vulgo notos aut in aliquo angulo abditos sub uno conspectu positos oculis perlustrabit, quorum colligendorum curae mihi ex officio demandatae numquam satisfacere potuissem, nisi Tu, carissime de Wal, peramanter et perdiligenter, ut soles, laboranti mihi subvenisses. Ut ex oratione ita ex libris optime cuiusque natura et mores colliguntur. Erat Tydemannus (vos omnes testor, nam nemo nostrum illius ingenium aut non novit aut non meminit), erat Tydemannus ante omnia argutus, acer, alacer, tam mente quam corpore, ut ita dicam, agilis, celeresque animi motus e corporis velocitate pellucebant. Est hoc hominibus argutis, prompti animi, prompti oris, acribus et pugnacioribus proprium, ut multorum irritabiles animos crebro pungant et saepe graviorens offensas, saepe leves offensiunculas cieant, sed Tydemanni argutias emolliebant candor generosi pectoris, lenitas et benignitas animi, hilaritas ac festivitas, adeo ut etiam qui facile excandescebant facile placabiles essent. Quis enim illius viri argutias etiam paulo mordaciores non aequo et hilari animo tulisset in quo tantam sinceritatem, probitatem, fidem, constantiam admiraretur. Qui acutissime vitia aliena perspiciebat erroresque notabat, ultro iudicii severitatem mitigabat honore verborum *ne quid* (ut ipse dicebat) *virorum egregiorum honori detraheret*. Praeterea quis erat ad alios sublevandos Tydemanno paratior, ut semper omnes adiuvare quam quemquam laedere mallet. Senserunt hoc discipuli, quibus erat omnia. Senserunt eruditi tam populares quam peregrini, quorum studia excitare, laudare, celebrare amabat. Palam Hugo, vir celeberrimus, laudavit insignem Tydemanni humanitatem et comitatem erga eruditos Germanos, in qua re eum cum Geelio nostro composuerim, quem peregrini omnes incertum plus amarent an admirarentur. Quis Tydemanno ubi calamitosis subveniendum esset promptior et ad opem ferendam expeditior? Aut re aut consilio aut scribendi praefandique opera nemini unquam defuit cui ullo modo potuit prodesse. Quis denique Tydemanno constantior et propositi tenacior? Vixit temporibus turbulentis et periculosis. Nihil ei unquam fuit officio, fide, aequo et bono antiquius. Intrepidus vidit vultus instantium tyrannorum, qui fortem ac strenuum virum mente solida quaterere non potuerunt. Sensere Galli, qui Universitatem Frisiacam evertere gestiebant. Sensere viri potentissimi in patria liberata, quorum

quum consilia improbare, potentiam non extimescebat. Ecquando Tydemanni libertatem oris et pectoris frangere potuerunt ullius opem vel minae? Haeret infixata in omnium animis Tydemanni imago quum ex hac ipsa cathedra deponens Rectoratum verba faceret. Meministis quam festive, quam salse quasi in quaerendo orationis argumento totam orationem consumserit; quos aculeos iecerit; et tamquam fugiens ut Parthorum equitatus telis adversarios confixerit, et ex locis scopulosis tutus et intactus evaserit. Meministis quanto animi vigore, qua ferocia, quo impetu odiosam sibi legem de cura pauperum impugnaverit. Pauca verba ex ea oratione veluti ex praesentis ore iterum audite: „Spero legis istud portentum secum ablaturum esse virum amplissimum, qui pravum hoc consilium optimo Regi suaserat nec ullum inventum iri successorem, qui huius legis patrocinium suscipere velit. Quod si praeter mea vota contingeret non metus conviciorum regii ministri os mihi clauderet, vel stilum ad confundendam confodiendamque istam legem manu susceptum excuteret.”

Talis vir erat Tydemannus, cui utinam multos semper similes et patria cives habeat et Academia Lugduno-Batava professores!

Amisimus Tydemannum, sed quod in maxima felicitatis nostrae parte ponimus, recuperavimus Tydemanni successorem. Nempe Te recuperavimus, carissime de Wal, ex gravi valetudine salutarium aquarum ope confirmatum restitutumque. Inest semper aliquid in rebus adversis boni. Nisi Tu in tam grave salutis discrimen venisses, ut de munere deponendo cogitares, numquam potuissemus ostendere quam carus esses nobis omnibus, quam Te carere non possemus. Tu huius benevolentiae et caritatis dulcissimam memoriam conservabis, utinam nos Te diutissime dilectissimum collegam conservemus.

Reliquorum vitae et valetudini Dei benignitas pepercit, sed sunt qui flebiles casus suorum lugeant, aut patrem venerabilem, aut lectissimas matronas, carissimas coniuges, aut cognatum aliquem vel affinem dilectissimum, carissima capita, non brevi luctu, sed perpetuo moerore desideranda. Erigat animos nostros (nam ego quoque sum in lugentium numero), erigat animos nostros affictos pietas erga Deum. Solatio sit nobis eorum qui supersunt amor et caritas, et ostendamus omnibus praeclara

studia etiam hunc fructum strenuis viris ferre, ut vitae aerumnas et calamitates aequiore animo patiantur et constantius ferant.

Quam doleo Bakium meum in hac corona non adesse. Qui solebat antehac alacer et impiger vitae officia omnia obire, nunc animo et corpore aeger decumbit. Utinam nostra omnium vota valeant! et brevi recreatus animus novas corpori vires suppeditabit et Bakius, qui nobis omnibus verae humanitatis praesens exemplum esse solet, diu Academiae Lugduno-Batavae praesidium et dulce decus ut semper antea futurus est.

At Te quidem nobiscum una esse gaudemus, optime van Hengel, quem si me amare tantum et venerari dixerò parum dixerò, nam quis est nostrum omnium, cui Tu non sis amabilis et venerabilis? Tu, quem omnium aetatum homines diligunt et observant, mihi prope in parentis loco colendus et reverendus esse videris. Tu tua omnia solius Dei arbitrio permittis. Faxit ergo Deus, ut te senem, cuius indefessam industriam vel florentes aetate iuvenes aemulari possint, diu etiam habeamus nobiscum, quibus carus es et vitae bene agenda per omnes aetatis gradus ad extremam usque senectutem illustrissimum exemplar.

Quemadmodum illi laboribus defuncti tamen de Academiae laude et gloria optime mereri nunquam desierunt, ita Tu quoque mox facies, Clarissime Cock. Dignitatis semper in Te plurimum fuit, habebis propediem cum dignitate otium, quam vitae partem ut tam iucunde exigas quam superiorem honorifice transegisti ex animi sententia Tibi omnes optamus.

Tu contra, praestantissime Bierens de Haan, laboris et industriae novum iter ingressus es et omnibus exoptatus et ante omnes clarissimo Verdam iam dedisti tui experimentum. Expertus iam es statim quam tibi collegae omnes optime velint. Perge modo ut incepisti et tua vita et aliis utilissima et tibi ipsi suavissima futura est.

Viro eruditissimo Boogaard Professorium titulum honorifice tributum esse vehementer gavisi sumus. Namque aequum et iustum est in quo sint professoriae artes et merita eidem esse Professorium nomen quoque et honorem.

Ut est vita hominum ex laetitia et moerore mixta, quum aliorum vicem doluimus, tum ex nonnullorum felicitate gaudium cepimus.

Nempe omnes, Cl. Rijke et Goudsmit, cepimus animi gaudium ex eo, quod Rex augustissimus merita vestra insignibus ordinis Leonis Neerlandici decorare voluit. Sunt qui talia parvi facere videri volunt, sed utinam Academia Lugduno-Batava etiam in ea re multos semper habeat vobis similes, namque Principi et principibus placuisse viris non ultima, id est primaria, laus est.

De Academico apparatu et instrumento pauca sunt quae commemorem. Sunt quaedam veteres querelae, quas non recoquo: quid enim nisi vota supersunt eaque sterilia. Bibliotheca Academica tua sollertia et industria, Cl. Pluygers, sic instruitur et ornatur, ut futurum sit propediem id quod antea numquam, ut ipsa Bibliotheca legentium studia alliciat foveatque.

Specula observandis corporibus coelestibus novum nacta est observatorem doctissimum van Hennekeler, cui novum officium gratulamur, sicuti Tibi, Cl. Kaiser, novum laborum adiutorem ac socium. Scimus, ac Tibi affirmanti facile credimus, Cl. Kaiser, etiam in illa re nihil esse ab omni parte beatum, sed donec Te habebimus de coelo non est desperandum.

Cum multorum desiderio doctissimus Koster a nobis discessit cathedram Ultraiectinam ornaturus. Substituto in illius locum eruditissimo Zaaier illud munus gratulamur et eundem honorem aliquando auguramur sed sic ut antea ex illius meritis et sollertia eximium fructum Academia Lugduno-Batava capiat.

Luctuosus et calamitosus annus fuit immatura morte complurium, quos aetate florentes, delicias ac spem suorum ac nostram deflemus. Erepti sunt nobis sex optimi adolescentes: alii in primo stadio ad carceres, alii in medio cursu, alii ad ipsam prope metam studiorum conciderunt ornatissimi Kramers, van Teylingen, van den Broek, Vuisting, Berns et Mosselmans. O spes hominum fallaces et lubricas. Flebili desiderio optimos iuvenes prosequemur et pie eorum memoriam servabimus parentes, cognati, amici, praeceptores.

His quoque acerbitatibus sunt opposita gaudia quae ex alumnorum nostrorum felicitate et virtute cepimus. Eximium par amicorum, ornatissimi Star Numan et Kroon, quos vitae coniunctio consociaverat, eosdem nobilis

palma consociavit quum in Academia Groningana alter propositum ab ordine ICTorum praemium aureum, alter ab ordine Philologorum honorifice reportavit. Huiusmodi bella vobis gerenda sunt, commilitones!

Sub exitum superioris anni patria tota effusa laetitia celebravit libertatis ante hos quinquaginta annos restitutae memoriam. Numquam ex animo meo elabetur illius diei imago, quum Hagam Comitum evocatus ut Academiae Lugduno-Batavae nomine festi diei solemnitati interesset, praesens illa vidi unde simul intellectum est omnibus non esse alium populum libertate quam nostrum digniorem, et non esse regem alium populo suo quam nostrum cariorem. Ostendit Academia Lugduno-Batava per eosdem dies quanti Regem, quanti patriam, quanti libertatem faceret. Tu enim, Cl. de Vries, facundo ore et inflammato pectore ostendens arcissimo vinculo horum salutem et felicitatem inter se aptam et nexam esse, simul huic iuventutis coronae iustissima petenti satisfacisti, simul Curatoribus et Professoribus, qui ultro ad Te audiendum confluerant, fecisti gratissimum, simul de Academia Luduno-Batava optime meruisti. Palam Tibi ex animi sententia et meis verbis et omnium, sat scio, qui Te dicentem audiverunt, ago gratias.

Regi Augustissimo etiam hoc Academia debet, ut propositis praemiis cordatissimus quisque ad ingenium exercendum et laudem petendam excitaretur. Horum certaminum qui fuerint exitus nunc cognoscendum est. Agedum, vir Clarissime, qui curas acta Senatus, iudicia Facultatum nobis recita.

Accedite ad me, spectatissimi iuvenes, et quam quisque vestrum palmam meruit eam ex mea manu accipito. Gratulor vobis et universis et singulis studiorum recte institutorum praeclaros fructus. Dimidium facti qui bene coepit dicitur habere: nemo potest vitae iter melius incipere quam vos fecistis. Sunt hae vestrae laudis et meritorum primitiae. Facite ut his primitiis laeta et uberrima seges succrescat, et excitate vestro exemplo reliquos. Ita fiet ut bona pars patriae iuventutis ad laudem ac decus appetendum inflammetur. Bona pars autem? Imo ad vos omnes iam se mea oratio convertit, lectissimi iuvenes. Suspiciatur fortasse aliquis vestrum

me nescio quid vobis succensere et aut conquesturum esse aliquid aut criminaturum. Habetote bonum animum. Nihil horum faciam. Candide et sincere, si quid admissum est, condonavi vobis rediique vobiscum in gratiam. Itaque ex imo pectore vos omnes adhortor ad eam laudem quam vos consequi posse omnes confido. Non omnes potestis praemia ex solido auro reportare, sed possunt esse in vobis omnibus optimae artes, quae auro contra carae sunt, industria, diligentia, candidum pectus, amabilis modestia, pulchri bonique sensus insignior, et animus vitiorum contemtor et quidquid est turpe et petulans et protervum fastidians et respuens. Haec sunt unicuique vestrum parabilia et sunt haec, opinor, auro pretiosiora. His date operam, in haec incumbite et erit inter vos Praeceptoresque vestros summa animorum conspiratio et suavissima coniunctio, quae et singulorum vitam faciet iucundiozem et Academiae Lugduno-Batavae antiquam gloriam confirmabit et augebit.

His votis ominibusque Tibi, Cl. Halbertsma, Rectorii muneris procuracionem trado. Utinam Te Rectore quae nunc animis exoptamus perfecta videamus et sic novo splendore dilectissima nobis omnibus Academia fulgeat!

D I X I.

